

111. *integro* : Verum eorum omnium respectu fides iustificare, dici nec potest, nec debet.

113. Sed est unicum ac idem semper obiectum, cuius respectu salvare dicitur: nempe sola misericordiae divinae, de gratuita per & propter Christum remissione peccatorum, promissio.

114. Quod obiectum dum fides, non quidem frigidâ cogitatione, non generali notitiâ, non superficiali assensu, non imaginariâ persuasione: Sed plenâ animi fiducia apprehendit: Iustificare dicitur Gal. 3, 14. Heb. 9, 15.

115. Subiectum igitur Fidei non est Mens duntaxat sive intellectus hominis, qui circa notitiâ versatur: Sed Cor quoque ac Voluntas, respectu assensus firmi, ac fiduciae indubitatae de gratuita peccatorum remissione: Quae quasi anima fidei salvifica, vocabulis valde significantibus, ut παρρησιας & πεποιθησεως. Eph. 3, 12. Hebr. 3, 6. πληροφορίας. Rom. 4, 21. ὑποσάσεως. Hebr. 11, 1. in scripturis describitur.

116. Est verò Fides isthæc non causa Formalis Iustificationis nostrae, ut aliqui autumant: Sic enim habitu interno, & inherente qualitate iustitia nostra constaret: Sed est αἰτίον ἀποδεχόμενον, sive manus illa spiritualis, quâ iustitia Christi apprehenditur.

Iustificatio